RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXXXVIII

INDICIT.

G. Hermann

PRIDIE CAL. NOV. A. MDCCCXXXVII.

Praemissa est dissertationis de Apolline et Diana pars posterior.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

38

Ostensum est in priore parte huius commentationis, fabula illa, qua Latona continentem atque insulas pervagata tandem Deli recepta esse ibique in lucem edidisse Apollinem et Dianam dicta est, peregrinos deos significari, quorum sacra aegre et reluctantibus qui tum Graeciam tenebant fuerint recepta. Conspirant cum his caetera. Nam simulac natus esset Apollo, Delphos petivisse, ibique draconem, cui Pythoni nomen fecerunt, interfecisse dicitur. De qua re praeter alios Strabo exposuit IX. 3, 11. qui quidem Ephorum, in quem iniquior est, vituperat, quod is, quum in huius famae enarratione praecipue se veritati operam dare asseveraverit, tamen rettulerit, quae sint fabulosissima, deum interfecisse Tityum quemdam et Pythonem, Athenisque Delphos ivisse, vagatumque esse per omnem orbem terrarum. Enimvero Ephorus quid ipse crederet exposuit: quod ille neque absurde fecit, ut cui persuasum esset deum hominis corpus induisse, nec dixit fabulose, sed potius ut explicaret fabulam. In Parnasso habitasse dicit quosdam aborigines illo tempore, quo Apollo terras obierit, ut homines ad mitiorem vitae cultum adduceret. Quem Athenis ea via, qua postea Athenienses Pythicam pompam mittere consuessent, Delphos proficiscentem, quum Panopeum venisset, interemisse Tityum, virum violentum et contemptorem iustitiae. Tum ei Delphos alium indicasse crudelem hominem, cui nomen Pythoni esset, cognomen autem ab saevitia draconi: quem quum sagittis petens ἰὴ παιὰν cecinisset, in morem venisse, ut hosti obviam euntes paeanem canerent. Eiusdem Pythonis quoniam tugurium concremaverint Delphi, eius rei memoriam sacro ritu esse conservatam. Haud valde dissimilia narravit scholiastes Pindari in argumento Pythiorum.

Quaerenti quid in his veri insit, non potest obscurum esse, Delphos, quo Apollo statim ut natus est venerit, ut primam eius atque antiquissimam sedem designari. Quem locum quum aborigines tum tenuisse dicantur, aperte Apollo ab illis ut peregrinus distinguitur. Tendentibus illuc cultoribus Apollinis circa Panopeum factae sunt insidiae. Eae Tityi nomine significantur, de quo est in Odysseae XI. 580.

Λητῶ γὰρ ἤλκησε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν,
Πυθώδ' ἐρχομένην διὰ καλλιχόρου Πανοπῆος.

Interfectio autem draconis, qui ea loca custodiebat, sic testata est, ut cum occupatione Delphorum sit coniunctissima, neque aliter Apollo quam occiso dracone potiri Delphis potuisse perhibeatur. Id vero quid aliud esse dicamus, quam vi illata esse sacra Apollinis, victis qui eum arcere conabantur feris illius loci incolis? Nam opposuisse se illos novae religioni eo magis consentaneum est, quia magna sanctimonia cultum ibi oraculum habebant. Eius rei omnium luculentissimum testimonium ipso Eumenidum exordio praebet Aeschylus:

πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν
τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν· ἐκ δὲ τῆς Θέμιν,
ἣ δὴ τὸ μητρὸς δευτέρα τόδ' ἔζετο
μαντεῖον, ὡς λόγος τις· ἐν δὲ τῷ τρίτῳ
λάχει θελούσης, οὐδὲ πρὸς βίαν τινός,
Τιτανὶς ἄλλη, παῖς Χθονός, καθέζετο,
Φοίβη, δίδωσιν ἣ γενέθλιον δόσιν
Φοίβῳ· τὸ Φοίβης δ' ὄνομ' ἔχει παρώνυμον.
λιπὼν δὲ λίμνην Δηλίαν τε χοιράδα,
κέλσας ἐπ' ἀκτὰς ναυπόρους τὰς Παλλάδος,
ἐς τήνδε γαῖαν ἦλθε Παρνησσοῦ θ' ἕδρας.
πέμπουσι δ' αὐτὸν καὶ σεβίζουσιν μέγα
κελευθοποιοὶ παῖδες Ἡφαίστου, χθόνα
ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.

μολόντα δ' αὐτὸν κάρτα τιμαλφεῖ λεώς,
Δελφός τε χώρας τῆσδε πρυμνήτης ἄναξ.
τέχνης δέ νιν Ζεὺς ἔνθεον κτίσας φρένα
ἵζει τέταρτον τόνδε μάντιν ἐν θρόνοις·
Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός.

Similia tradidit Pausanias X, 5, 5. φασὶ γὰρ τὰ ἀρχαιότατα Γῆς εἶναι τὸ χρηστήριον καὶ Λαφνίδα ἐπ' αὐτῷ τετάχθαι πρόμαντιν ὑπὸ τῆς Γῆς· εἶναι δὲ αὐτὴν τῶν περὶ τὸ ὄρος νυμφῶν. Ex quo mansisse videtur, ut femina ederet oracula. Et §. 6. χρόνῳ δὲ ὕστερον, ὅσον Γῇ μετῆν (nam cum Terra commune fuerat Neptuno oraculum) δοθῆναι Θέμιδι ὑπ' αὐτῆς λέγουσιν, Ἀπόλλωνα δὲ παρὰ Θέμιδος λαβεῖν δωρεάν. Inter Themidem et Apollinem Aeschylus Phoeben interposuit, ut appareret, qui Apollo in posessionem oraculi venisset: qui tamen non ex Phoebe, ut Aeschylo Hesiodum sequuto placuit, de quo v. Opusc. vol. VI. p. 267. et Crameri Anecd. I. p. 428, 26. sed quod priscos oraculi praesides fugasset, Phoebus est appellatus. Themis quidem, quam in Prometheo Aeschylus v. 209. πολλῶν ὀνομάτων μορφὴν μίαν eamdem cum Terra esse ait, eo existimanda est Terram excepisse dici, quod θέμιστες, quae sunt dictiones, essent antiquissimae. Caeterum quod Delo relicta Delphos adisse Apollinem Aeschylus dicit, etsi non diserte indicat statim ut natus fuerit illuc profectum esse, tamen aliorum narrationes ita interpretari iubent. In his est Euripides, qui in Iphigenia Taurica v. 1234. de dracone, qui illud μαντεῖον χθόνιον custodierit, sic scripsit:

ἔτι νιν, ἔτι βρέφος, ἔτι φίλας
ἐπὶ ματέρος ἀγκάλαισι θρώσκων
ἔκανες, ὦ Φοῖβε, μαντείων δ' ἐπέβας ζαθέων.

Paullo aliter Hyginus fab. 140. *Python, Terrae filius, draco ingens. Hic ante Apollinem ex oraculo in monte Parnasso responsa dare solitus erat.* Eo dictus videtur producta vocali, ut quae convenientior esset

nomini proprio, *Πυθών*, non a *πύθειν*, quod finxit scriptor Homerici in Apollinem hymni v. 363 seqq.

Magnum haec momentum habent ad declarandum munus Apollinis fatidicum. Frustra enim laborarunt viri docti, ut ostenderent cur vates esse Apollo diceretur. Non est hic deus natura sua fatidicus, sed tributum ei hoc officium est propterea, quod vi introductis eius sacris antiquum quod Delphis erat oraculum in possessionem venit novi dei, quem non esse vatem etiam illud documento est, quod non sua, sed Iovis oracula edit. Sed postquam potiti oraculo isto sacra latius propagari coepta sunt, etiam aliis locis oracula exstitere Apollinis, multo illa tamen minus nobilia quam Delphicum, quod iam perantiquo tempore opulentissimum fuisse Homerus indicat Iliad. IX, 404.

οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἔέργει
Φοίβου Ἀπόλλωνος Πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Redeo ad Euripidem, qui quae illo quem dixi loco fabulose poetarum more exornavit, tectam involucris verae rei narrationem continent. Hic quod dicit, Terram, quo pulsum de oraculo ab Apolline Themidem ulcisceretur, gravibus somniis homines territasse, eaque rerursum eripuisse Apollini oraculum; quo facto illum ab Iove, quem adisset, tranquillam oraculi possessionem impetrasse: id nihil aliud est, quam quod sacris ceremoniis ennaeteridis Delphi repraesentabant: de quibus Plutarchus in libro qui de defectu oraculorum est c. 15. p. 417. F. ita scripsit: *πλεῖστον δὲ τῆς ἀληθείας διαμαρτάνουσιν οἱ Δελφῶν θεολόγοι, νομίζοντες ἐνταῦθά ποτε πρὸς ὄφιν τῷ θεῷ περὶ τοῦ χρηστηρίου μάχην γενέσθαι, καὶ ταῦτα ποιητὰς καὶ λογογράφους ἐν θεάτροις· ἀγωνιζομένους λέγειν ἐῶντες, ὥσπερ ἐπίτηδες ἀντιμαρτυροῦντας ὧν δρῶσιν ἱεροῖς τοῖς ἁγιωτάτοις. θαυμάσαντος δὲ τοῦ Φιλίππου, παρῆν γὰρ ὁ συγγραφεύς, καὶ πυθομένου τίσιν ἀντιμαρτυρεῖν θείοις οἴεται τοὺς ἀνταγωνιζομένους, τούτοις, ἔφη, τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον, οἷς ἄρτι τοὺς ἔξω Πυλῶν πάντας Ἕλληνας ἡ πόλις κατοργιάζουσα μέχρι Τεμπῶν ἐλήλακεν· ἥ τε γὰρ ἱσταμένη καλιὰς*

ἐνταῦθα περὶ τὴν ἄλω δι' ἐννέα ἐτῶν οὐ φωλεώδης τοῦ δράκοντος χειά, ἀλλὰ μίμημα τυραννικῆς ἢ βασιλικῆς ἐστὶν οἰκήσεως· ἥ τε μετὰ σιγῆς ἐπ' αὐτὴν διὰ τῆς ὀνομαζομένης δολωνείας ἔφοδος, ᾗ Αἰολάδαι τὸν ἀμφιθαλῆ κόρον ἡμμέναις δᾳσὶν ἄγουσι, καὶ προσβάλλοντες τὸ πῦρ τῇ καλιάδι καὶ τὴν τράπεζαν ἀνατρέψαντες ἀνεπίστρεπτοι φεύγουσι διὰ τῶν θυρῶν τοῦ ἱεροῦ· καὶ τελευταῖον αἵ τε πλάναι καὶ ἡ λατρεία τοῦ παιδός, οἵ τε γινόμενοι περὶ τὰ Τέμπη καθαρμοί, μεγάλου τινὸς ἄγους καὶ τολμήματος ὑποψίαν ἔχουσι. Posui in his ᾗ Αἰολάδαι pro corruptis μὴ αἰόλα δέ. Hesychius et ipse corruptus: Αἴοδα, παρὰ Δελφοῖς γένος τι. Nam qui praeceps reponi iussit ᾗ αἱ Ὀλεῖαι, tam festino oculo Plutarchum inspexit, ut non viderit vel participia masculina prohibere, ne mulieres Orchomeniae Delphos transferantur. Quid significent ceremoniae istae non est obscurum. Puer iste patrimus et matrimus vice fungitur Apollinis, eiusque non adulti, sed recens nati, cuius aedem nuper conditam dolose ingressi Delphi incendunt: unde profugus puer, postquam servire coactus est, circa Thessalica Tempe lustratur, tamquam a gravi crimine. Euripides quidem in Alcestide illam Apollinis apud Admetum servitutem ab occisis Cyclopibus repetit: sed scholiastes eius inter alias narrationes hanc quoque antiquiorem affert, quod propter interfectum Pythicum draconem poenas servitio dederit: eaque non dubitandum quin ipsorum fuerit Delphorum opinio et fama. Ex his intelligimus, repulsos ab Delphis eos, qui illic sacra huius dei constituerant, in Tempe se recepisse, atque ibi aliquamdiu deum suum coluisse permissu eorum, qui loca illa incolebant. Id colligi ex eo potest, quod Admetus, apud quem servisse Apollo dicitur, valde pius fuisse perhibetur. Quem ego ea caussa vocatum esse Admetum existimo, quod, quum ferret alium deum colentes, non tamen passus esset sua sacra ab illis expelli, id quod Delphis acciderat. Illud certe nimis ridiculum est, inferorum deum isto nomine designari. Reversis vero Delphos Apollinis cultoribus, id quod ex Euripidis carmine, cuius supra mentionem fecimus, intelligi potest, facile apparet cur in memo-

riam illius temporis, quo Tempe tenuerant, laureae inde ab Delphis petitae pompaeque illuc fuerint deductae. Eodemque pertinet, quod Delphi antiquissimum apud se templum casam ex Tempica lauru constructam fuisse memorabant, ut Pausanias refert X. 5, 9. confusis, ut videtur, illo tugurio, quod prima invasione ab advenis exstructum ipsi in incenderant Delphi, et eo, quod iidem advenae condiderunt postea reversi. Recte ergo Hoeckium iudicasse censemus, qui non, ut alii, Tempe, sed Delphos eum Graeciae locum esse statuit, in quo primo sacra Apollinis fuerint constituta.

Perventum est ad quaestionem obscurissimam, unde venerit Apollo. Nominant Hyperboreos. Pausanias X. 5, 7. *Βοιὼ δὲ ἐπιχωρία γυνὴ ποιήσασα ὕμνον Δελφοῖς ἔφη κατασκευάσασθαι τὸ μαντεῖον τῷ θεῷ τοὺς ἀφικομένους ἐξ Ὑπερβορέων τούς τε ἄλλους καὶ Ὠλῆνα· τοῦτον δὲ καὶ μαντεύσασθαι πρῶτον καὶ ᾄσαι πρῶτον τὸ ἑξάμετρον· πεποίηκε δὲ ἡ Βοιὼ τοιάδε·*

ἔνθα τοι εὔμναστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς·

ἐπαριθμοῦσα δὲ καὶ ἄλλους τῶν Ὑπερβορέων ἐπὶ τελευτῇ τοῦ ὕμνου τὸν Ὠλῆνα ὠνόμασεν·

Ὠλήν θ', ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας,
πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτήνατ' ἀοιδάν.

Oleni nomen a tibiis impositum videri alibi dixi. Pagasi et Agyiei nomina defixa in vicis et plateis signa dei significare apertum est. Eodem loco Pausanias §. 9. templum ex cera et plumis factum memorat, cuius etiam apud Strabonem mentio iniecta est IX. 3, 9. p. 421. Id videtur templi Delphici simulacrum fuisse, quod missum fuerit ad eum locum, ex quo proximo sacra Apollinis Delphos venissent. Delii quid de Hyberboreis narraverint omnium accuratissime exposuit Herodotus IV. 33 seqq., ex quo sua exornavit Callimachus h. Del. 278 seqq. Primitias stipula tritici involutas ex Hyperboreis ad Scythas allatas ibique receptas inde ab alio deinceps ad alium populum versus occidentem traditas usque

ad mare Adriaticum pervenisse. Hinc inter Graecos primo ab Dodonaeis esse susceptas, unde ad sinum Maliacum et porro in Euboeam usque Carystum, Androque praeterita Tenum venisse, ab Teniis denique Delum esse perlatas. Ac primum quidem apportatas Delum esse ab duabus virginibus quas Delii Hyperochen et Laodicen appellaverint, comitantibus quinque viris, qui περφερέες dicti magno apud Delios fuerint in honore. Postea Hyperboreos, ne semper ab aliis ad alios pergere iuberentur, eas primitias itidem stipula involutas proximis vicinis tradidisse, illi ut deinceps aliis traderent. Ac Thraces quoque Dianae reginae non sine stipula tritici sacra facere. Delios autem narrare iam ante Hyperochen et Laodicen duas Hyperboreas virgines ad se venisse, Argen et Opin, earumque haec nomina ab Lycio Olene in hymno quodam esse prodita. Quam Herodotus Argen, alii, ut Pausanias V. 7, 8. Hecaergen appellant. Hyperboreis virginibus scholiastes Pindari in argumento Pythiorum substituit nymphas Parnassides. Eius in verbis non animadversa est, quam hians sententia indicat, lacuna: ἐτελεῖτο δὲ ὁ ἀγὼν καταρχὰς μὲν διὰ ἐνναετηρίδος * * διὰ τὸ τὰς Παρνασσίδας νύμφας Ἀπόλλωνι κτείναντι τὸ θηρίον τὰς ἐν ταῖς χερσὶν ὀπώρας προσενεγκεῖν δῶρα. Putabant, qui haec memoraverunt, frugum primitias ideo consecratas esse Apollini, quod casu tempore messis interfectus ab eo esset draco. De tempore consentire videtur Alcaeus, qui media aestate ex Hyperboreis venisse Apollinem cecinit. Rectius, opinor, hoc ad solis calorem fruges maturantem referetur.

Non multum, sed tamen aliquid ex his narrationibus proficimus. Nam quum ex Hyperboreis et Apollinem ipsum et virgines istas comitesque earum περφερέας venisse audiamus, Dodonaeque et Parnassi mentio in iis fiat, quae de oblatis primitiis referuntur, origo Apollinis ut peregrini atque ex longinquis oris advenae dei designatur: qui vero sint isti Hyperborei nondum ex his perspicitur. Quod si certum esset, quod quibusdam videtur, Doriensium tribum Hylleidem quondam in Illyrico con-

sèdisse, certe propius septemtrionibus admoveretur hic Doriensium deus. Nihilo tamen certior Niebuhrii opinio est, Hyllos quoque in Pelasgis numerantis. Tenuis fama est, servata ab Apollonio Rhodio IV. 529 seqq. Invicti enim esse putabantur defosso apud eos tripode, quem Delphis Iason accepisset. Utique si ex Hyperboreis sacra Apollinis in Graeciam translata dicuntur, vix id aliter intelligi potest, quam apportata esse ex ignoto versus septemtrionem tractu terrarum. Qua vero ex terra allata esse coniiciamus, nihil habemus aliud quam et ipsum deum et virgines Hyperboreas Argen sive Hecaergen et Opin, et quod asinorum hecatombis placare Apollinem Hyperboreos scripsit Pindarus. Maxime in his animum advertunt Hecaerge et Opis, quod et Apollo ἑκάεργος dictus est, et Upis cognomen est Dianae. Et Apollinis quidem istam appellationem, cuius aliae formae sunt ἑκατηβόλος, ἑκατηβελέτης, ἑκηβόλος, ἑκατός, veterum interpretum levitas ab longe iaculando factum esse persuasit fere etiam recentioribus: meliora monstrare poterat Hecate, quae ea dea est, cuius ἕκητι quaeque fiunt. Hecate autem etiam Dianae cognomen est. Quin Branchi vatis Milesios lustrantis versum, qui exordium hymni erat, Clemens Alexandrinus Strom. V. 8, 49. p. 675. sive vol. III. p. 36. ed. Lips. memorat hunc:

μέλπετε, ὦ παῖδες, Ἑκάεργον καὶ Ἑκαέργαν.

Patet eos deos his nominibus appellari, quorum propitia vi mundus atque negotia hominum regantur, ita ut etiam qui subito caussa non conspicua moriuntur, horum placidis telis ictos credi oporteat. Non igitur falli videmur, si alterum Hecaergae nomen Argen ad diurnae lucis claritatem caussamque eius solem referimus, Opin autem noctis oculum lunam esse censemus. Tertiam his recentiores addidisse videntur Loxo, cuius mentio est apud Nonnum V. 489. et Etym. M. in Ὦπις p. 641. extr. Callimachus h. Deli v. 292.

Οὖπίς τε Λοξώ τε καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Huius quoque perambiguum nomen ex quadam naturali caussa repeten-

dum puto. Certe si ad Dianam haec nomina referuntur, haud absurde Upis plenam lunam, Loxo non plenam, sed veluti ex obliquo tuentem, Hecaerge autem omnem eius potestatem significabit. Apollinem quidem ab obliquis oraculis *Λοξίαν* dictum esse facile patiar: non credam factum id nomen ex *λέγειν* esse.

Iam si haec quoque ex longinquo solem et lunam demonstrant, non inepte, opinor, coniiciemus, qui Apollinis et Dianae sacra in Graeciam intulerunt, a Persis ducere genus, vel communem cum Persis habere originem. Nam quum cognatos inter se esse Graecos et Persas linguarum comparatio docuerit, etiam de rebus divinis consimilia utrumque populum sensisse credibile est. Defendit eam sententiam, ut alios taceam, etiam A. Boeckhius in fine eius dissertationis, quam de Midiana oratione Demosthenis scriptam inseruit commentationibus Academiae Berolinensis a. 1818. licet ille non iusta ratiocinatione, quod Persae soli equos sacrificaverint, Solem cum equestri Neptuno eumdem putavit deum esse. At Neptunii equi fontes sunt salientis aquae, interdum etiam naves, *αἴθ' ἅλὸς ἵπποι ἔασιν*, quod non puto improbaturum fuisse C. Fr. Hermannum in Quaestionibus Oedipodeis p. 84. mirantem naves hominum manibus factas in fabulis equino, et non suo nomine vocari, si reputasset, proprium esse veterum fabularum, quoniam omnia agere aliquid fingunt, etiam omnia ut vita praedita introducere. Sed haec in transitu. Ignem deum esse habitum a Persis res est notissima, neque opus est testimonia afferre, nisi quae arctius cum caussa nostra sint coniuncta. Herodotus III. 16. *Πέρσαι γὰρ θεὸν νομίζουσι εἶναι πῦρ.* Unde de efficacissima eorum supplicatione Plutarchus de primo frigido disserens p. 950. F. scribit: *ἐν δὲ Πέρσαις τῶν ἱκετευμάτων μέγιστον ἦν καὶ ἀπαραίτητον, εἰ πῦρ λαβὼν ὁ ἱκετεύων καὶ ἐν ποταμῷ βεβηκὼς ἀπειλοίη μὴ τυχὼν τὸ πῦρ ἐς τὸ ὕδωρ ἀφήσειν· ἐτύγχανε μὲν γὰρ ὧν ἐδεῖτο, τυχὼν δὲ ἐκολάζετο διὰ τὴν ἀπειλήν, ὡς παρὰ νόμον καὶ κατὰ τῆς φύσεως γενομένην.* Herodotus I. 131. *θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ καὶ γῇ καὶ πυρὶ καὶ ὕδατι καὶ ἀνέ-*

μοισι· τούτοισι δὲ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν. Et Strabo XV. p. 732. τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, καὶ σελήνην, καὶ Ἀφροδίτην, καὶ πῦρ καὶ γῆν καὶ ἀνέμους καὶ ὕδωρ. Apud Herodotum quidem Venus vocatur Mithra. Hinc Xerxem Soli libasse apud Herodotum VII. 54. legimus, et I. 138. leprosos piaculi erga solem reos esse existimatos.

Diximus supra de die natali Apollinis numeroque septenario. Haec quoque mirifice congruunt cum religionibus Persarum, ut non incredibile videatur, omnes illos deorum dies natales quasi radicem in cultu Apollinis habere. Herodotus I. 133. ἡμέρην δὲ, ἁπασέων μάλιστα ἐκείνην τιμᾶν νομίζουσι, τῇ ἕκαστος ἐγένετο. Quod addit, ἐν ἐκείνῃ δὲ πλέω δαῖτα τῶν ἄλλων δικαιεῦσι προτίθεσθαι· ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν καὶ ἵππον καὶ κάμηλον καὶ ὄνον προτιθέαται, ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι, id eiusmodi est, ut inde Pindari illae asinorum hecatombae, quas Apollini mactare Hyperborei soliti fuerint, petitae esse videantur. Plurimum autem confert ad fidem Persicae dei originis numerus septenarius, cuius memoriam multis modis sacra Mithriaca conservarunt. Permultos qui de iis scripserint nominavit Creuzerus in novissima editione Symbolices vol. II. p. 238. Ex iis satis est commemorasse Antonii van Dale dissertationes IX. Amstelodami editas a. 1702. et quae Zoega disseruit in commentationibus, quas Welckerus Germanica lingua vulgavit Gottingae a. 1817. In illis monumentis praeter alia aevi atque intereuntis renascentisque rerum naturae signa Sol in quadrigis, in bigis autem vel equorum vel vaccarum, aliquando etiam uno cum equo Luna, adstantesque duo iuvenes, alter sublata, alter demissa face, et Sol quidem septem radiis ornatus, item septem stellae, septem arae, aliquando etiam alia septena conspiciuntur. Quod si semel octo stellas Zoega inventas memoravit p. 179. error is esse artificis videtur. Est etiam ubi corvus lauro insidens cernatur, ut neque avis neque arbor Apollini sacrae desint.

Sed dicendum est etiam de Diana, quam praecipuo honore a Persis cultam esse tradidit Diodorus Siculus V. 77. De ea videndus Spanhemius

ad Callim. h. Dian. 37. Et quum Pausanias VII. 6, 6. templum Dianae Persicae in Lydia commemoret, credat quis forsitan Persas diversam quamdam ab Luna deam Dianam coluisse. Verumtamen hoc Graecis deberi videtur, Persarum lllam deam, quae Luna erat, Dianam interpretantibus. Certe quod Plutarchus in Lucullo c. 24. de vaccis narrat Persicae sacris Dianae, quam barbari trans Euphratem incolentes prae caeteris diis sanctam habuerint, quas vaccas libere vagari, signo facis notatas, solamque ad immolationem destinatas, id ita comparatum est, ut vix dubitari sinat quin sit ad Lunam referendum. Ex illa lunae sanctitate explicanda est etiam callida interpretatio magorum, quos Herodotus VII. 37. Xerxi, sollicito quod sol defecisset, *ἥλιον Ἑλλήνων προδέκτορα, σελήνην δὲ σφέων εἶναι* dixisse ait. Nec dux Persarum Datis, qui Delo insulae quum suopte instinctu, tum Xerxis iussu pepercit, praecipienti *ἐν ᾗ χώρῃ οἱ δύο θεοὶ ἐγένοντο, ταύτην μηδὲν σίνεσθαι*, alia id caussa fecisse videtur, quam quod eos deos Solem et Lunam esse censeret. Testantur factum illud Herodotus VI. 97. aliique, quos ibi indicarunt interpretes.

De Diana vero quum dicimus, eam intelligimus, quae proprie sic vocata est, sororem Apollinis. Constat enim translatum esse nomen Dianae ad complures alias nemorum, fontium, lacuum praesides deas, quae aliquam cum Apollinis sorore similitudinem habere viderentur, quin Ephesiae quoque deae, quae totius naturae simulacrum est, istam a Graecis esse appellationem impertitam. Atque haec Ephesia quidem aperte non Graeca est: caeteris hoc videtur commuue esse, quod capiendis feris vel piscibus, tutandisque locis, in quibus ista animalia versarentur, praefectae putabantur, eaque caussa venatricis habitu fingebantur, a quo raro declinatum est. Ita Straboni VIII. p. 343. memorata est picta *Ἄρτεμις ἀναφερομένη ἐπὶ γρυπός*. Et Pausanias arcam Cypseli describens V. 19, 5. *Ἄρτεμις δὲ οὐκ οἶδα ἐφ᾽ ὅτῳ λόγῳ πτέρυγας ἔχουσά ἐστιν ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ κατέχει πάρδαλιν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν λέοντα.* Idem VII. 41, 6. de Eurynoma, quam vulgus Dianam, doctiores Oceaninam esse

putaverint, quum statuam eius ipse non vidisset, quoniam templum semel quoque anno aperiebatur: *τῶν Φιγαλέων δὲ ἤκουσα ὡς χρυσαῖ τε τὸ ξόανον συνδέουσιν ἀλύσεις καὶ εἰκὼν γυναικὸς τὰ ἄχρι τῶν γλουτῶν, τὸ ἀπὸ τούτου δέ ἐστιν ἰχθύς· θύγατρι μὲν δὴ Ὠκεανοῦ καὶ ἐν βυθῷ τῆς θαλάσσης ὁμοῦ Θέτιδι οἰκούσῃ παρέχοιτο ἄν τι ἐς γνώρισμα αὐτῆς ὁ ἰχθύς· Ἀρτέμιδι δὲ οὐκ ἔστιν ὅπως ἂν μετά γέ του εἰκότος λόγου μετείη τοιούτου σχήματος.*

Illam igitur Dianam, quae soror Apollinis est, quum vulgatissima fama et ipsam in Delo insula natam ferat, fuerunt tamen qui ei natale solum tribuerent Ortygiam: quod nomen quum compluribus locis commune sit, valde dubitatum est, quae potissimum intelligenda esset Ortygia. Omnes, sed non nominatim, comprehenduntur in Nicandri fragmento apud scholiastam Apollonii Rhodii ad I. 419. Turbati scholii haec verba habemus: *περὶ τῆς Ὀρτυγίας Φανόδικος ἐν τοῖς Δηλιακοῖς ἱστόρηκεν· καὶ Νίκανδρος ἐκ τρίτῃ Αἰτωλικῶν ἐκ τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ Ὀρτυγίας φησὶ τὴν Δῆλον ὀνομασθῆναι, γράφων οὕτως· οἵδ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηνίδος ὁρμηθέντες· οἱ μὲν τὴν Ἔφεσον· οἱ δὲ τὴν πρότερον Δῆλον καλουμένην· ἄλλοι δὲ τὴν ὁμοτέρμονα Σικελίας νῆσον, ὅθεν Ὀρτυγίαι πᾶσαι βοοῶνται.* Quantum intelligi potest, Nicandri verba haec fuerunt:

οἳ δ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηνίδος ὁρμηθέντες
. . . . . ὁμοτέρμονα νῆσον
Σικελίῃ, ὅθεν Ὀρτυγίαι πᾶσαι βοοῶνται.

Antiquissima Ortygiae memoria est apud Homerum, apud quem Eumaeus Odyss. XV. 403. haec dicit:

νῆσός τις Συρίη κεκλήσκεται, εἴ που ἀκούεις,
Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο.
οὔτι περιπληθὴς λίην τόσον, ἀλλ' ἀγαθὴ μέν,
εὔβοτος, εὔμηλος, οἰνοπληθής, πολύπυρος·
πείνη δ' οὔποτε δῆμον ἐσέρχεται, οὐδέ τις ἄλλη
νοῦσος ἔπι στυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν·

ἀλλ᾽ ὅτε γηράσκῳσι πόλιν κάτα φῦλ᾽ ἀνθρώπων,
ἐλθὼν ἀργυρότοξος Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξύν,
οἳς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνεν.

Quod prolatum vidimus, *τροπὰς ἠελίοιο* solarium esse, quod Pherecydes in Aegaei maris insula Syra constituisset, verbaque ista additamentum esse alicuius rhapsodi, iudicatum est inconsideratissime. Recte iam F. A. Schlegelius in ea quam de geographia Homeri scripsit commentatione p. 62 sqq. intellexerat, longe dissitam et paucis hominibus cognitam regionem ab Eumaeo describi. Quae Homericis carminibus insertae sunt remotarum regionum commemorationes quum ex diversis acceptae sint peregrinantium narrationibus, non mirandum esset, si eadem loca diversis nominibus appellarentur, ut, quae alibi apud Homerum Thrinacia est, in qua greges solis pascebantur, hic Syria vocari potuerit, cui et *τροπαὶ* istae *ἠελίοιο* conveniunt, nec non aptum est nomen Ortygiae, supra quam sitam esse Syriam poeta dicit. Nam etsi satis longe a tropico cancri circulo remota est Sicilia, tamen quis non videat, poetam, ignotis tum quae vere tropicae regiones sunt, non potuisse nisi opinata describere? aut quis non intelligat, insulam, quae ad meridiem sita simulque fertilissima esse perhiberetur, aptissime ita designari, ut calefieri quidem vehementer, nec tamen exuri, quippe revertente ibi sole, diceretur? Minime tamen hoc pro certo posuerim. Nam etiam Pontias, Palmariam, Pandatariam immani coturnicum numero insignes memoravit Varro de R. R. III. 5, 7. ut Ortygiae nomen omni inferiori Italiae conveniat. Ac notum est circa Neapolim innumerabilium nubem coturnicum volatu fatigatarum littori incumbere. Videnda Buffonis historia naturalis avium T. II. p. 459 seq. Verum isti quidem Homeri Ortygiae nulla communio est cum Dianae Ortygiis, ex quarum una Sophocles in Trachiniis v. 212. *Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν* dixit, quod scholiastes interpretatur *τὴν ἐν Ὀρτυγίᾳ τιμωμένην*. Earum quae sit illa, a qua caeterae sunt denominatae, prodit versus Homerici in Apollinem hymni 16. quo Latona peperisse dicitur

τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,

repetitus ille in Orphico h. XXXIV. 5. Consentaneum est enim proximam Delo Rheneam intelligi, de qua Strabo X. 5, 5. p. 486. sive vol. IV. p. 324. ὠνομάζετο δὲ καὶ Ὀρτυγία πρότερον, quae verba Spanhemius ad Callim. h. Del. 37. p. 408. falso ad Delum refert, quae et ipsa dicta est Ortygia, ut idem et isto loco et ad h. Apoll. 59. ostendit. Contra etiam Rheneam Deli nomine vocatam esse ait scholiastes Theocriti ad XVII. 70. Ex hac igitur Ortygia videtur natale solum Dianae communicatum esse cum aliis locis, nominatim cum eo, qui in monte Aetoliae Chalcide dictus est Ortygia, de quo Strabo X. p. 459. et cum vicina Epheso Ortygia, in qua nutrix Dianae Ortygia colebatur Strabone teste XIV. p. 639 seq., denique cum illa, quae Syracusis est coniuncta, sive illae ex coturnicum admigrationibus, sive ob sacra Dianae eam sunt appellationem adeptae.

Ita multiplicatis sacris Dianae, communicatoque cultu cum aliarum religionibus dearum non est nobis animus singula persequi, quae partim inexplicabilia, partim deliramenta mythologorum sunt, vel Calydonium suem aut Arcadicam ursam Dianam esse imaginantium, ursulasque appellitare consecratas deae Brauroniae puellas non dubitantium. Illud potius attingemus, quod in Apollinis Dianaeque veneratione maxime mirandum videri debet, qui factum sit, ut, si primitus hi dii Sol et Luna fuerint, in Graecia prorsus exstingui huius rei memoria potuerit, planeque diversi ab Sole et Luna haberi Apollo et Diana. Quod si non temere hariolari, sed probabilem aliquam rationem quaerere volumus, facile apparet redeundum esse ad ea, quae de antiquissimo in Graecia cultu Apollinis tradita habemus. Vidimus autem ea sacra primo Pythonem venisse, vi occupato veteri Terrae oraculo; deinde pulsos ab Delphis cultores Apollinis aliquamdiu Tempe in Thessalia tenuisse, ibique non vexatos sacra sua obisse; postremo, reversos Pythonem, iterum invasisse quod ibi erat Terrae oraculum, in eiusque possessione mansisse. Apparet ex his, priscos terrae Delphicae incolas non eiectos ab advenis Apollinem venerantibus

esse, sed, quum ipsi eos paullo post quam advenerant expulissent, aliquanto post ex Thessalia, ubi interim opes eorum auctae erant, maiore vi reversis succubuisse. Ex eo facile licet coniici, utrosque, et indigenas et advenas, quum eodem in loco permixti inter se viverent, suisque utrique sacris uterentur, paullatim confudisse religiones, alteris alteros patienter ferentibus. Indigenarum autem consuetudo erat signa et simulacra deorum ponere quos venerarentur; advenas vero, qui Persarum opiniones sequebantur, credibile est nec templa nec simulacra deorum habuisse. Sic enim de Persis tradit Herodotus I. 131. *Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοισισίδε χρεωμένους· ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέει, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς κατάπερ οἱ Ἕλληνες εἶναι.* Confusis igitur utrisque sacris, quum veteres incolae advenarum sacra susciperent, consequebatur, ut diis quoque novis humanam speciem tribuerent, eosque signis quibusdam, quamvis initio rudibus, effingerent. Quo magis enim mobilia gentis ingenia ab iis rebus, quae sola mentis cogitatione comprehenderentur, abhorrebant, atque ad ea ferebantur, quae sensibus percipi possent, eo minus iis satisfacere poterant dii, quorum divina vis et potentia mysticis nominibus dei *ἑκατοῦ* deaeque *ἑκάτης* significaretur, formae autem, quae in caelo apparerent, mentis rationisque expertes esse neque agere quidquam posse viderentur, nisi eos humano corpore includerent, radiis in sagittis mutatis. Accedebant inde alia, atque in Apolline quidem ab iisdem radiis, ut *ξανθὸς* et *ἀκερσεκόμης* appellaretur, ut laurea coronaretur propter Tempicas lauros, ut cithara instrueretur ob hilaritatem lucis diurnae, fortasse etiam propter paeanem, quem victo Pythico dracone, id est stabilitis ibi sacris suis, cecinisset. Quin ipse Deus et *Ἀπόλλων* sive *Ἀπέλλων* et *Φοῖβος* nescio an primo a fugandis nocturnis tenebris sit appellatus. Ita indigenarum ingenio paullatim adsuescentes advenae, exuentesque alio sub caelo sublimiorem orientis spiritum, dum conservabant quae ad sacra pertinerent,

septimum mensis diem atque ennaeterides, non aliter quam humana forma praeditos cogitare deos discentes, magis magisque solis lunaeque oblivisci coepere, Apollinemque et Dianam pro plane aliis quam qui revera fuerant diis venerari.

Adumbravimus haec eo consilio, ut ostenderemus, quae valde discrepantia vehementerque inter se pugnantia de Apolline et Diana traduntur, simplici quadam et probabili ratione ita posse explicari, ut omnia recte apteque cohaereant, neque opus sit illa ambiguae orationis copia illoque splendentium verborum ornatu, quibus quo magis quid explicare atque illustrare studeas, eo magis implicatur atque obscuratur.

Sed dicendum iam est de ea re, quae scribendi nobis occasionem fecit. Proposuerant Ordines Academiae commilitonibus argumenta, quibus explicandis inter se de praemio decertarent. Ac S. R. Ordo Theologorum, qui doctrinam Nemesii de natura hominis exponi atque examinari voluerat, unam accepit dissertationem, quam non iudicavit probandam esse; Ill. Ictor. Ordini duae redditae sunt commentationes, quibus aquae pluviae arcendae actio declararetur, quarum itidem neutra digna esse praemio visa est. Nec Gratiosus Medicorum Ordo oblatae sibi scriptionis rationem habendam censuit. Amplissimi Philosophorum Ordinis classi primae, quae de Lacedaemoniorum atque Atheniensium rebus publicis libelli an a Xenophonte scripti essent quamque indolem et formam haberent explicari iusserat, una dissertatione responsum est, quae propter diligentiam, qua elaborata est, approbationem Ordinis tulit, ut praemio ornanda iudicaretur, etsi non ex omni parte satisfactum propositae quaestioni esset. Nam nec quae ratio inter utrumque libellum intercederet evidenter ostensum videbatur, nec de ingenio Xenophontis gerendaeque reipublicae scientia plene accurateque erat expositum, nec satis vindicata Xenophonti scriptio, praesertim reiectis interdum magis quam refu-

tatis aliorum sententiis. Atque ut in libello de Lacedaemoniorum republica levius disputatum est de sermonis usu Xenophonteo, ita alterius libri quae hodie conditio esset prius investigandum erat quam quaerendum quis eum scripsisset. Dicendi genus, quo usus est scriptor dissertationis, simplex et planum est, sed nec purum ubique nec vacuum vulgaribus quibusdam vitiis. Aperta tessera inventus est Augustus Fuchs, Dessaviensis, philologiae studiosus.

Accepit etiam secunda Philosophici Ordinis classis dissertationem unam, qua praecipua de nexu et ratione inter animam et corpus placita recenserentur. Ac laudandum quidem visum est studium scriptoris, sed quum ille et levius et non satis ordinate nec probe cognitis fontibns disputaverit, praetereaque parum polita usus sit oratione, non potuit ei praemium adiudicari. Tertia Ordinis classis non invenit, qui propositam quaestionem tractaret.

Apparet evenisse, quod praevideramus, quum haec certamina instituerentur, ut haud multi exsisterent, qui incerta spe praemii tempus, quod discendo destinatum esset, scribendis dissertationibus mallent impendere. Sed imitari tum placebat aliena, prono seculo in nova, perque nova ruente ad novissimum, poenitere. Quo per nos ipsos nondum licito in proximum annum haec sunt ad certandum proposita.

Ab Ordine Theologorum:

Explicetur, quae sit natura Mysticismi, Pietismi, atque Orthodoxiae, et quid inde efficiatur ad definiendum harum notionum discrimen.

Ab Ordine Iurisconsultorum:

Exponatur de institoria actione.

Ab Ordine Medicorum:

Disseratur de nervis sinuum frontalium in homine et bobus inter se comparatis.

3 0112 115882497

Ab Ordinis Philosophorum classe prima:

Demonstretur quid in Iliade et Odyssea ex antiquiorum Homero poetarum carminibus depromptum sit.

Ab eiusdem Ordinis classe secunda:

Inquiratur quibus argumentis et quo iure Aristoteles Platonicam de ideis doctrinam impugnaverit.

Ab eiusdem Ordinis classe tertia:

Exhibeatur historia et succincta delineatio systematum plantarum, quae dicuntur naturales pristini et recentissimi temporis.

Haec, carissimi Commilitones, vobis aperienda fuerunt, quo, si qui vires suas in his argumentis experiri vellent, meminissent, intra nonum ab hodierno die mensem tradendas Decanis dissertationes esse.

P. P. pridie Cal. Novbr. a. MDCCCXXXVII.